

1570 *subjectos receptos ; quibus indignissent , ea liberaliter exhibita ; piratas omni scelere contaminatos sæpius Byzantium missos , dumque meritas luere pœnas debuissent , impune libertati restitutos . Cypriis nunquam Turcas imperasse . An vero ita Reipublicæ in servandis pollicitis fidem rependi , quam ab Ottomanorum amicitia , magnis licet propositis præmiis , abducere reliqui Principes nequivissent ; quippe quæ pacem inviolatam servare , nec quidquam contra jus gentium , ac jusjurandum agere consuevisset ? His , atque aliis a legato dictis , Mehemetes ne minimum quidem commotus , Selymo , inquit , Cypro omnino potiri constitutum esse ; si sponte id Respublica permittat , pacem in reliquis Venetorum finibus servari curaturum ; quod ad se attineret , semper a bello aversum , ut Selymum de sententia deduceret , omni studio contendisse . Barbarus , solerti atque acri vir ingenio , cum fixam , atque adeo immotam Selymi sententiam intelligeret , multa animo volvere , varia mente agitare , si forte remorari impetum , & sistere aliquantisper armorum motus posset , ut inter ea Respublica ad tantum bellum suscipiendum accuratius se compararet . Cum Hibraimo igitur conqueritur tabellarios a se Venetias missos , eo tempore interceptos , quos , ut itineri tutius se committerent , citiusque Selymi postulata perferrent , juvari non modo debuerant , verum a Rege certum hominem , qui tanta de re Patres certiores faceret , mitti oportuerat : indignum tanto Rege esse , eos improviso adoriri , quibus jurejurando fidem præstitisset . An vero arma illi defutura , quibus , si ita occasio posceret , uteretur ? cur non prius quam vim experiretur , jure atque amice ageret ? His ab Hibraimo Mehemeti nunciatis , minime illi difficile fuit , Selymo suadere , ad Cyprum petendam ut legatum Venetias mitteret ; cum præsertim , cura omni licet ac studio adhibito , nondum ad insulam invadendam necessaria in promptu , atque expedita haberet ; ingentis Christianorum apparatus fama Byzantium perlata haud parum commoveretur ; pace inter Sarmatas , ac Moscos Cæsaris auctoritate sancita , sollicitaretur ; neque eum minus , quod sequester fuisset tum concordiae quam quod in persolvendo Pannoniæ vectigali moras neceretur , suspectum haberet . Uluzzalis quinetiam , Leptitanus Bassa , classem*
fla-